

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Totius Latinitatis lexicon

secundum tertiam editionem, ..., correctum et auctum labore variorum

**Forcellini, Egidio**

**Schneebergae, 1831**

Widmungsbrief

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1615)

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

**A N T O N I O M A R I N O**  
**C A R D I N A L I P R I O L O**

EPISCOPO PATAVINO

**SEMINARIUM**

**O**pus hoc, princeps eminentissime, jussu olim avunculi tui GEORGII CARDINALIS CORNETI civitatis hujus episcopi designatum atque susceptum, te vero ad eandem sedem rerumque nostrarum regimen evecto typis postea commissum, te demum auspice ac patrono feliciter evulgamus. Ac si quis rei hujus amplitudinem animo complecti potest, et haec volumina non tam oculis quam ingenio metiri, is certe eximiam quandam mentis animique magnitudinem in eo mirabitur, qui de hoc opere primum cogitans praesidia maxima ad illud contexendum liberaliter comparavit; eum vero, quo potissimum auctore e tenebris est erutum, et cum eruditis viris opinione citius communicatum, de Latinis litteris optime meritum profecto existimabit. Nos vero, qui eam tibi rem nuncupamus, quae tuorum voluntate incepta est, tuis in aedibus lucubrata, tuo demum jussu atque opera per typographum absoluta, nemini certe officiose facere videri possumus, nec veterem consuetudinem sequi, ut magnis voluminibus magna nomina praeponantur. Sed quamvis non aliis auspiciis quam tuis ornari ac muniri hujusmodi opus a nobis poterat, muneris tamen loco AEGIDIJ FORCELLINI recordationem accipies; cum et hominem probe noveris, et multas magnasque ejus animi dotes plurimi semper feceris, et apertum simplexque optimi senis ingenium prae ceteris adamaveris. Quamquam ea ipsa, quae libris hisce continentur, quaeque Latinae linguae usibus, dignitati ac splendori maxime inserviunt, ad te afferri, tibi que nuncupari ita debuerant, ut, quamvis aliter facere ne liberum quidem nobis fuerit, ratione tamen atque consilio id omnino fecisse existimemus. Latina lingua Religionis ipsius veluti administra, ejus sacra ac caeremonias complexa, latius ab ea, quam ab ipsa olim principe terrarum gente propagata, Romanae Ecclesiae gravissima nuncia, ejusque nota quaedam, qua mores ritusque a ceteris discerni possint, haec, inquam, lingua in eorum tutela esse profecto debet, quibus amplissima munera, ac splendidissimae dignitates Religionis, et Ecclesiae praesidia quaelibet ac decora sanctissime commendata esse testantur. Superi faxint, ut, quemadmodum haec urbs Latinarum litterarum domicilium semper olim est habita, ac nostris etiam temporibus apud Italas exterasque gentes haberi solet, ita nos ad verissimam existimationem alendam atque corroborandam, tum labore ac sollertia nostra, tum hoc ipso opere a nobis edito contulisse aliquid videamur.